

DE ROTVLAS,  
VEL TABELLAS  
CONFICIENDI RATIONE,  
& præterea Conseruas,  
COMMENTARIVM VI.



**R**OTVLAS, vel Tabellas, vel, vt aliquibus placet, Trageas, vocant omnes, Confectiones illas, quæ ex purissimo Saccharo, atque trituras, sicuti Speciebus componuntur; etiamsi idem nomen quoque teneant, si Succis, Decoctis, Aquis, Infusis, & Olei nonnullis guttulis, & Saccharo parentur, dummodo, vt dicitur, ad formam talem solidam perueniant. Sit pro qualibet libra Sacchari puri, & albi Specierum vncia vna, dissoluatur prius illud aquæ tribus vncijs, vel ad summum quattuor, & decoquatur ad aquæ exhalationem semper despumando, postea remoueatur ab igne, & Species spatia agitando addantur. Vt

Rx. Sacchari albi lib. j.  
Specierum Diambrae vnc. j.  
Aquæ Rosaceæ, vel è floribus Citri vnc. iij.  
vel ad summum iij. *Ingred. iij.*  
Saccha-

Saccharum optimum, ac electum cum aqua Rosata igni liquecat, & decoquatur ad perfectam aquæ consumptionem, despumando semper, si occasio postulabit; deinde remoueat ab igne, & Species iniiciantur diligentissimè miscendo, & fiant Rotulæ.

In hoc exemplo habemus quãtitatem aquæ, qua liquefacere debent Seplasiarij Sacchari libram, quæ est trium vnciarum, vel ad summum quattuor, quãtitatem Specierum, quæ est vnius vnciæ pro singula Sacchari libra. At pauci exstant, qui hanc Specierum copiam imponant; plurimi enim ne dicam omnes, drachmas sex Specierum pro singula libra Sacchari iam liquari iniiciunt; immò, si veritatem proferre licet, solum duas drachmas Specierum illarum, quæ Moschum, & Ambram, & Gemmas recipiunt. Dicto iam modo Tabellæ cuiuscumque generis conficiuntur, imponendo vnciam vnã Specierum, vel saltem sex drachmas pro quacumque Sacchari albi, & electi libra diligenter decocti, ne illæ temporis tractu humescant, & insuaves reddantur, quod sæpe, atque sæpe accidere videmus ob Seplasiarum sordidam auaritiam, qui ex Saccharo impuro, & incocto has parant.

Error & auaritia aliorum.

Non rarò fiunt Rotulæ ex Succis, vel Infusis, vel Decoctis, in quibus tanta sit quantitas succorum, quanta Sacchari. Ut

Rx. Succus Absinthij Pontici depurati lib. j.  
Sacchari elect. lib. j.

Ingred. ij.  
Depu-

## 296 De vera Meth. Pharm. par.

Depuratus Succus, & Saccharum liqueſcāt, & coquantur, ſpumam auferendo ad exhalationem ſucci, & fiant Rotulæ. At ſi Medici vigorofiore ſcē hāc ſolidam Confectionem cupiant, ſit ſucci libræ una cum dimidia, ſi imbecilliore, ſufficit libræ dimidium.

Sic parantur ex Infuſo, exempli gratia, Oxalidis, cuius folia virentia in eadem aqua ſepties immutentur primis reiectis ſemper, & Sacchari æquali quantitate, quas ſi optas colore viridi eſſe, infuſum ebullitione non depuretur & celeri igne cum Saccharo decoquatur. At ſi Infuſa ſint purganti natura inſignita, ſufficiēs erit drachma vnus pro qualibet Sacchari vncia, vt Rhabarbari, vel Agarici, ſed hæc ad Medicos attinent. Interdum enim & ſolūm grana decem Infuſi ſufficiunt, vt Hellebori, etiam ſi nō pauci ad drachmam dimidiam aſcendant: ſed hoc ad Seplaſiarios non pertinet.

Si ex Oleis, & Saccharo componuntur, vt ex oleo Corticum Citri, Aniſi, Fœniculi, Caryophyllorum, vel Cinnamomi, ſic conficiantur.

R̄. Sacchari albi, ac optimi vnc. iij.

Olei è Corticibus Citri drach. j. *Ingr. iij.*

Saccharum cum aliquo liquore, vt Cinnamomi, vel Caryophyl. aqua diſſoluatur, aut aqua ſimplici, decoquatur ad aquæ conſumptionem, dum ad huc feruet, guttulæ illæ olei iniiciantur, & ab igne ſubito remoueat, accuratè permiscendo, & formentur Tabellæ.

*Rotulæ*

*Rotula Imperiales à vulgo dictæ.*

Rx. Cinnamomi,  
 Caryophyl.  
 Nucis Moschatae,  
 Piperis albi,  
 Zingiberis,  
 Anilorum,  
 Cubebæ ana drach. j. script. β.  
 Sacchari optimi lib. j. *Ingred. ix.*

Incidentur crassiusculè, Saccharum Decocto corticum Citri, & Macis, aut Coriandrorum dissolvatur, & fiant Trageæ, vt est artis.

Rotulæ è Speciebus Galangæ,  
 Aromatici,  
 Diarhodonis,  
 Trium Santalorum,  
 Diamoschi,  
 & similibus.

Conficiantur, vt illæ ex Speciebus Diambæ, & harum omnium descriptiones legantur Commentario de Speciebus.

*De Conseruis.*

Appellant Pharmacopœi, atque Medici Conseruas Pharmaca illa quæ ex Saccharo & floribus, aut  
 Pp folijs

298 De vera Meth. Pharm. par.

folijs optimè in mortario lapideo contusis conficiantur. Imperat Mesue pro qualibet Sacchari lib. ponendas esse quattuor florum vncias : cuius verba leguntur in descriptione Sacchari Rosari, quod omnium aliorum est exemplar, cuius descriptio est hæc.

*Saccharum Rosatum Mesue.*

℞. Folior. Rosarum albarum, vel rubearum nondum perfectarum, in umbra exsiccatarum, donec earum humiditas excrementitia resoluitur vnc. iiij. Sacchari albi libra j. *Ingred. ij.*

Terantur Rosæ in vase lapideo, Saccharum addatur, reponantur in vase vitreo, aut vitrato pergamena operculato, mensibus tribus insolentur, in die sæpe agitentur, Soli auferantur, & seruentur. Hæc Mesue, qui supponit esse folia exungulata.

*Aliud, quod est magis in usu.*

℞. Foliorum Rosarum rubrarum, quoquomodo umbra exsiccatorum, & alba illa portiuncula priuatorum lib. j. Sacchari albi lib. iiij. *Ingred. iij.*

Saccharum aquæ lib. j. dissoluatur, & coquatur perfectissimè ad totius aquæ consumptionem, interim frequenter manu Rosæ in mortario lapideo terantur, & illi addantur diligenter miscendo, & cum absumpta

sumpta est superflua humiditas, ab igne remouean-  
tur, & vasis vitreis reponantur, antequam frigescat  
Confectio; quæ, si occasio postulabit, Soli exponat̃.

*Saccharum Violatum.*

Fit, vt Rosatum, sed Violæ paulò diutiùs in vm-  
bra siccandæ, & cum Saccharo insolandæ.

Eodem modo paratur Saccharum, aut Conser-  
ua è Floribus, aut detritis, aut integris.

Boraginis,

Buglossæ,

Nenupharis,

Cicorij,

Betonicæ,

Fumariæ,

Rorismarini,

Saluiæ,

Caryophyl. nostrorum,

Sambuci,

Euphragiæ,

Rutæ Caprariæ,

Leucoij lutei, & similia.

Aliqui ex tenellis folijs, vel summitatibus herba-  
rum Saccharum parant. Vt

Oxalidis,

Cicorij,

Absinthij Pontici,

Capil. Veneris, & similia.

Pp 2 TRO.